

Disputationum practicarum de historiis aegrorum decima-tertia, de lue veneria / [Theodoor vander Gall].

Contributors

Gall, Theodoor vander.
Straten, Willem van der, 1593-1681.
Rijksuniversiteit te Utrecht.

Publication/Creation

Utrecht : T. ab Ackerdyck, 1644.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/yntemnr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

1387 F. 12 v. 17

50494

17 16.

DISPUTATIONVM PRACTICARVM,

DE

Historiis Ægrorum

DECIMA-TERTIA,

DE

LVE VENEREA.

QVAM

Favente Tri-uno Deo

SUB PRAESIDIO

Clarissimi doctrina & experientia Viri,

D. GULIELMI STRATENI

Reip. Ultraj. Archiatri, atque in inclyta ejusdem

Acad. Med. Pract. & Anatomes Profess. Primarii,

Publicè defendendam suscipit

THEODORUS vander GALL Ultraj cēt

Ad Diem 20, Novemb. horis locoque solit.



ULTRAJECTI,

Pro THEODORO ab ACKERDYCK,

Anno cōlo cXLIV.

50494

Clarissimis, Spectatissimisque Viris,

D. THEODORO de GOYER,
Hujus Urbis olim Consuli Dignissimo.

D. JOANNI de GOYER, Æmi-
lianæ insulæ Domino, Basilicæ B. Mariæ
Thesaurario, & quondam illustris collegii
D. D. Ordinum Trajectinæ Provinciæ
Assessori.

Avuncu-
lis meis
in æter-
num co-
lendis.

In grata mentis symbolum Disputationem

hanc Offero, ☩

THEODORVS vander GALL. *Respond.*

HISTORIA.

Militi Anglo quadragenario, post concubitum cum infetâ uxore primum pustula & excoriationses in pudendo, Dein macula & ulcuscula superficialia crustosa in pectore, ac postea in universo ferè corpore, magno cruciatu fatigantia apparuere, cum scapularum, capitis, brachiorum tibiârumque ingenti dolore, sub vesperam semper excandescente, & nocturnis horis adeo molesto, ut somnum pelleret, usque dum instante aurorâ remitteret. Post unam aut alteram per alvum purgationem & phlebotomiam institutam dolores pro tempore quidem remiserunt, verum brevi post quasi de novo recruduerunt & aucti sunt. Quibus malis per duos fere menses excruciatu, in Nosodochium adducto, à Chirurgo post cathartica per exhibita aliquoties mercurialia concitatur salivatio quam vocant, & copiosa exspuitio &c. Sed tantum abest, ut morbus illis remediis cesserit, ut post tres quatuorve septimanas duæ extuberantia in anteriore tibiârum parte sese conspiciendas dederint, ovi gallinacei magnitudinem æquantes, primùm molliores, dein topthorum duritiem induentes, & insigniter agrum torquentes.

Quæritur. Quis hic sit morbus, quæ ejus causâ, ut & symptomatum, quæ prognosis, quæ eis debeatur curatio.

THE S I S I.

MOrbus quo hic miles tenetur est *Lues venerea*, cujus nomen si spectes, variam sortita est nomenclaturam. *Luem Indicam* plerique vocant: quod in In-

diâ occidentali endemia sit. Hispani & Itali Gallicum vocant. Contra Galli Hispanicum & Neapolitanum. Nobis ut odiosum nomen cum nationum contumeliâ conjunctum mittamus, *Lues venerea* dicitur: quasi propria nepotibus veneris, quâ omnium nationum homines infici posse statuimus. Definimus itaque *Luem veneream* quod sit morbus occultus, malignus, contagiosus, facultati nutriendi imprimis adversus, & propterea nutritione in toto corpore lesâ, varios morbos & symptomata excitans.

Probl. Fuitne veteribus & in specie Hippocr. 3. Epid. s. 3. notus, ubi fit mentio serpentium oris ulcerum, tuberculorum in pudendis, mutilationum in carnibus, ossibus ac nervis, capitis & menti glabrationis, ossium denudationis (gravissime urgentium, si circa pubem pudendaque contingerent) ac prolapsus? Neg. 1. Quia Hippocr. *Hac terrorem potius, quam periculum denunciasse scribit*, contra malignam hujus luis, nisi per specifica tempestivè curetur, indolem. 2. Quia eos, quibus ad suppurationem res deveniebat, superstites evasisse, quibus abscessus non creabantur, eos frequentes periisse testatur; contra quàm in hujus luis progressu quotidie observetur. 3. Quia morbos epidemios ex aeris vitio tum temporis grassantes ibi descripsisse videtur Hippocr. non hoc malum. *Instantia.* At Hippocr. ibi dicit observata illa, partim in febribus, partim sine eis, si verò pestilens ea fuerit aeris constitutio, cur non semper adfuit febris? Resp. 1. Sæpe ipsi pesti non nisi levissimas, & vix perceptibiles adesse febriculas. 2. Hippocr. expresse addidisse *multis unâ cum febribus, aut ante febrem, aut etiam post febres accidisse.*

II.

Subjectum non statuimus pudenda (licet sepe inde oriri videatur) nec cutim (licet ibi morbus superbus primò sese prodat) nec solas partes membranasas, spermaticasque cum & aliæ afficiantur, sed ut facultati nutriendi imprimis adversum hunc diximus esse morbum, cujus ope omnes ac singulæ indigent partes, ita plerumque hepar (primam fa-

cul-

tatis naturalis officinam) primum & præcipuum subiectum esse censemus, & reliquas (post hepatis labefactionem) partes malignitatis hujus reddi participes : quando scil. in eas partes malum hoc ab hepate diffunditur. Potest quippe papilla, os, cutis, pudendum infici & exulcerari adeo, ut & in alias partes serpat, & alios inficiat, & non nisi specificis curetur, citra tamen hepatis labem, tumque non hepar, sed partes infectas subiectum esse judicamus.

III.

Causa proxima est qualitas occulta & inexplicabilis, à congenere causâ communicata, & tales edens effectus, qui ad nullam manifestam intemperiem, sed saltem occultam qualitatem referri possint. Quæ licet sensus nostros prorsus effugiat, non nuda tamen & solitaria existit, sed in humore, aut alio quovis corpore inhærescit, quo, ut subiecto quodam ac vehiculo in corpus inficiendum commigrat, perinde ac rabidi canis & reliquorum venenatorum animalium morfu lædentium virus.

I V.

Causa externa in hoc ægro est contagium ab impuro concubitu contractum : in quo venenatæ exhalationes motæ sunt. In venere enim propter spirituum concursum, & per motum calefactis membris genitalibus, vapores ex malignis humoribus, ulceribus &c. elevantur, qui à pene raræ constitutionis absorbentur, eum inficiunt, & in venas recipiuntur. Neque interim negamus aliâ ratione etiam contrahi posse ; puta hæreditario jure à parentibus, lactatione, quâ vel infans à nutrice impurâ inficitur, vel nutrix ab infante infecto, vestibus contaminatis, sudoribus, sordibusve in linteis, lectis, indusiis hærentibus, sputo salivâque per oscula, pocula, cochlearia communicatâ &c.

Probl. Potestne, quis per halitum & ad distans, ut ajunt infici ? Nec videtur, nec à nobis hæctenus observatum.

V.

Pars affecta primò fuit pudendum ; quod ex ulcusculis illis satis apparuit : dein infecto hepate non paucè alię partes ejus virulentia fuerunt redditæ participes, quod ex læsa actione naturali, & excrementorum in particulis congestione, nec per debitas & consuetas vias expulsionem, satis cõspicuum est.

VI.

Differentiæ & gradus hujus morbi cum pro diuturnitate & symptomatum vehementiâ tres tradi soleant : *Prima* nimirum *species* in qua recenti lassitudo artus sine febre occupat, cum dolore vago & mitiori, capillorum defluvio, pustulis in pudendo &c. 2. *species* in quâ præter pustulas crustosas, faciem & magnam corporis partem occupantes, dolores noctu excalescentes, in mediis excarnibusque crurum brachiorumque sedibus, ragades & condylomata in volis manuum pedumque, circa pudendum & anum occurrunt. 3. *species* in quâ præter ulcera fistulosa cariosa in artibus, cranio, palato, naso, surditas cœcitas etiam superveniunt. Propterea secundum gradum attigisse egrum nostrum existimamus. Cùm verò veram fœdi hujus morbi originem quàm diutissimè celare & speciosissime excusare plerique soleant, & rarò tantillo (quo hic miser se contaminatum dicit) temporis spatio, tot & tanta occurrere soleant symptomata, ea propter non immerito fides narrantis suspecta est & verisimilè est altiores antiquiori huic affectui radices esse.

VII.

Symptomatum in hoc casu hæc est ratio. Ulcuscula penis à madore & vapore contagioso, quem membra generationi dicata hauserunt, originem habent ; qui vapor altiùs ascendens hepar tandem infecit. Hincque naturali facultate labefactatâ, & sanguine contaminato, fœdis humoribus corpus impletum est, qui dein foras emigrantes ulcuscula crustosa pressu (propter comitem acrimoniam) exasperantia excita-
verunt. Dolores verò mediam ovis planitiem occupantes &
sub

sub vesperam ingravescentes, orti sunt ex acribus, tenuibus malignisque cruditatibus ibidem subsistentibus, panniculos, perioftia, & musculosas partes corrodentibus, & sub vesperam exaltatis effervescentibusque (ob specificam dispositionem) partes membranofas distendendo ac corrodendo, vehementissimos circa vesperam & de nocte concitantibus dolores. Extuberantiæ istæ à pituitoso quoque & tenaci excremento, inter ossa & perioftia, aut in ipsorum ossium meatibus & poris cumulado, & jam forte per mercurialia remedia dissoluto, motoque, non tamen expulso, originem traxerunt: qui primùm molliores cùm essent, dissipatâ parte tenuiore, in tophaceam concreverunt duritiem.

VIII.

Signa hujus luis alia quæ traduntur, licet in hoc ægro non occurrant, tamen ex recensitis satis innotescit; ex syndrome scilicet causæ prægressæ, pustularum in pudendo, exulcerationum, dolorum &c. Id scilicet huic malo cum multis commune est, non ex unico signo pathognomonico dignosci: verùm ex plurium concursu.

Probl. Si in ægro causam studiosè tegente, nonnisi duo, vel tria leviora, & huic morbo cum aliis communia occurrant signa, puta capillorum defluvium cum pustulis &c. Quomodo dignoscetur? *Resp.* malignitatem præ se ferunt ea symptomata, si contumaciora sint, & consuetis remediis non cedant, sed solùm specificis.

IX.

Prognosis. In genere sciendum inveteratam recenti periculosiorem esse, uti & ea quæ hereditaria est, & in interioribus ac reconditis visceribus hæret, tophisque stipata est satis molestiæ creat. In specie verò hæc, licet eger viridi sit ætate, robustus & constantibus viribus, parvi tamen non est facienda, nec brevi superanda videtur, quia affectus (ut diximus) secundæ est classis, neque adeo recens ut æger asserit, neque salivationi semel aut iterum institutæ cedat, quinimo
tophi

tophi & superveniant & indurentur.

Probl. 1. Estne hic affectus lethalis? Resp. non primò & per se, quamvis non pauci moriantur prostratis viribus per dolores, vigilias, febres ex cruditatibus genitas, per defluxiones copiâ aut acrimoniâ pulmonibus infestos &c.

Probl. 2. Habebitne hæc lues, ut vult Fracastorius, aliquando finem, ex more nonnullorum novorum morborum? Resp. quamdiu causa non cessat, non videtur cessatura.

X.

Curandi Indicationes sumendæ à morbo, causâ morbi, & symptomatibus, ut & viribus. Morbus cum sit mali moris & occultus, specifica requirit alexipharmaca. Cumque succrescentia excrementa & humores contaminati ulteriorem labem minentur, propterea de horum evacuatione & correctione tempestivè cogitandum est, habitâ interim symptomatum, si quæ præ ceteris urgent, ratione. Quibus omnibus, hoc ordine satisficit.

XI.

Ac primò quidem præmissis eccoprotico ex *sennâ rhabarbaro* &c. venę sectio in principio in brachio instituenda fuisset, idque plenitudinis minuendæ ratione, & ne sanguis, hac ægritudine & constitutione, nimium fervorem nimiamve perturbationem ab usu remediorum adhibendorum incurreret.

XII.

Neque hæc præparatio sufficiens visa fuisset, verùm sanguine detracto antequam validioribus medicamentis humores & morbus oppugnarètur, primæ regionis (utrum non etiam secundæ, sanguis extractus prodidisset) cacochymia ulteriorem correctionem evacuationemque requirere, sæpiùs rariùs, pro re natâ, repetendam, additis attenuantibus, vias & meatus expedientibus, parandis pro ægri constitutione. Quæ cum videatur, ex vitæ victusque genere, vigiliis, curis, doloribus, partim crudis & pituitosis, partim acris & biliosis scatere superfluitatibus, propterea ad harum præparationem,
pro-

propinanda fuissent aliquandiu decocta ex *rad. helenii, cichorac, fumaria carduob. betonica.* &c. unà cum admixta *sennâ, agarico, turbitb, elleboro,* vel per intervalla duorum triumve dierum, instituendę sufficientes materię decocto preparatę expurgationes, per *pill. è fumar. cochias, extr. catholico, conf. hamech.* & similia, ut ita remedia postea assumenda, suis muneribus commodius tutius & securius, perfungi potuissent. Quibus præparantibus & purgantibus paulatim non ineptè admiscere licuisset aliquid facultate specificâ virulentię venereę resistens.

XIII.

Ita præparato corpori majori cum fructu, *remedia Mercurialia* exhiberi aut adhiberi potuissent. Neque enim *Mercurius* ex numero remediorum convenientium simpliciter, uti nonnullis placet, exterminandus videtur, ob minus sælicem aliquando successum, modo iudicium adhibeatur. Quia verò in nostro hoc egro, semel & iterum instituta salivatio, malum non sustulit, viresque ejus languidę & macies dissuadent repetitionem *mercurialium*, ea propter, post mites alvi evacuationes, blandioribus nunc & longo interim usu probatis luis venereę antidotis, locus esse videtur, *Guajaco* scil. *salsapar. china* &c. Ex. gr. tale paretur decoctum, R. *rasurę opt: guaiaci unc. iv. rad. falsę parillę unc. ii. cort. guajaci unc. i. & semi,* infunde per viginti quatuor horas in l. 12. aque deinde coque S. a. ad dimidias, addendo sub finem *sol. betonica. carduib. an. m. i. glycyrrhizę, drag. vi. S. anisi unc. semi,* Colatura detur pro decocto sudorifero.

XIV.

Hujus decocti mane jeiuno ventriculo in lecto calido sumptis unc. vi. aut viii. æger sese componat ad sudores per horam unam aut alteram pro successu & ægri jam languescantis tolerantia, paulatim ascendendo ad ubiores sudores, & decoctum efficacius; si eger sumpto medicamento obdormiscat, medicamentum in actum meliùs deducetur, sudores-

doresque facilius & largius profluent, quibus postea linteis
calidis absterfis exsiccatisq; lentè ad suã revertatur æger tem-
periem, ac tandem, è lecto surgat, & cibo convenienti refi-
ciatur. Ita quidem primum teratur octiduum, quo si vel al-
vus tardior vel ventriculus nauseabundus expurgari deside-
ret, semel aut iterum id fiat, sed leniter, & intermissâ eo die
sudatione. Sequentibus duabus aut tribus hebdomadis, post
sudores matutinos tēpestivè finitos, à prandio frugali, hora
decimâ instituto, circa quartam pomeridianam haustâ alterâ
decocti calidi dosi, eodem modo sudores provocandi & ab-
stergendi, & dein reficiendus erit æger, cum intermediâ,
uti dictum, mitiori catharsi, & à sudando feriatiōe. Ita de-
bellato malo, ad unicam, matutinis horis, sudationem redi-
bit æger per octo, decemve dies, usque dum radix penitus
evulsa sit, & plenè confecta perniciēs: interim non neglectis
iis quæ viscerum conditionem & pleniorē cruditatū suc-
crescentium evacuationem (si opus sit) respiciant.

X V.

Pari fere ratione *Rad. china lignumque sassaphras* in usum voca-
ri possent, sed priora, utpote certiora & efficaciora, præfe-
renda censemus. Sicut & sicco pede alios curandi modos,
puta per quotidianas validas evacuationes alvinas, empirico
nostrati familiares, item per suffitus, unguent emplast. cingu-
la gestanda, lotiones ex *Mercurialibus*, &c. præterimus, utpo-
te minus hic convenientes, & aliàs, plenius explicandas.

X V I.

Quantum ad symptomatum curam. Ulcuscula penis com-
modè abluuntur decocto *guaiaci*, aquâ *Mercuriali*, ac postea
unguento aut emplast: simili inungantur teganturque. Si
quæ alibi supersint contumaciora ulcera, eadem ratione tra-
ctanda sunt. Locis dolentibus applicentur fomenta è ligno
guaiaco fol. *pulegii*, *salvia*, *rorisimar* &c. Extuberantiæ istæ
tibiæ commoissimè tolluntur decocto *salsa parilla*, post
cujus usum si tamen remaneant, emollientia, attenuantia &c.

dige-

digerentia iis imponenda, & quidem fortiora: ut rad. *cucumeris agrest.* *bdellium*, *sagap.* emplaf. *dyachylon* cum gum: addito *Mercurio*, aut maximè cōveniens Empl. è ranis cum Merc. Quid si os cariosum subfit? id denudandum, deradendum, urendumve erit. *Probl. Guaiaco, salsa par. &c.* præter vulgares calefaciendi, siccandi, attenuandi, sudoresque movendi, etiam specificæ adversus virulentiam veneream insunt vires.

XVII.

Dieta. Aer primò in quò versetur sit calidus, ut transpiratio libera sit. Cibus sit talis & tantus ut viribus conservandis sufficiat, nulloque modo naturam oneret: euechymus, eupeptus, & simplex: ejusmodi est caro *vervecina vitulina &c. ova, uvæ passæ, panis* bene coctus. *Potus* sit decoctum secundum sive dilutius *guaiaci & salsa par.* ex magmate prioris decocti, rejectis herbis ingratoribus (quæ proinde linteo indi & dein eximi possunt & solent) additâ ea recentis *guaiaci* dosi, quæ sufficere videbitur, cui gratia saporis conciliari poterit additis, sub finem, *passulis, glycyrrhiza & similibus.* Conveniunt item exercitia moderata. Animi affectus sint ad lætitiâ compositi, Alvus laxa servanda est.

Probl. 1. Arcendine sunt omnino à vino? Neque omnes, neque nulli.

Probl. 2. Interdicendine sunt ab omni salis usu? Non.

COROLLARIA

COGNATA.

I.

AN omnis lues venerea contagiosa sit? *Affir.*

II.

An diu in corpore latere possit citra noxam? Affir.

An

III.

An purgantia sudoriferorum loco esse possint? Aff.

IV.

An in bubone venereo aliquando vena secanda? Affir.

COROLLARIUM Physiolog.

Quaritur utrum is, qui in medicina, omnia incerta judicat, melius de eâ judicet, quam cæcus de coloribus?
Resp. vix.

COROLLARIA Pathol. & Therapeut.

I.

Varietas ciborum pro sanitatis tutelâ minime utilis est.

II.

Singultus non oritur septo sed ventriculo primariò affecto.

III.

Palpitatio fieri potest à vaporibus ex venis exhalantibus,

IV.

Gravida primis mensibus magis sunt obnoxia picâ quam postremis.

V.

Extenuatis vena quandoque secanda.

VI.

Vnâ die sanguinem mittere & medicamentum purgans propinare licet.

VII.

Diarrhæa pleuritidi superveniens non semper malum pronunciat.

VIII.

Res absurda gravidis quandoque concedenda.

F I N I S.

no
11. 21. 42

